



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Amico Laureato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

salvum & incolumem nobilissimæ familiæ, quæ suas in te spes habet, quæ peritura tecum sit, nisi illam suscites ac fulcias. Vitabis igitur istud discriminum genus, quod inconsulti Juvenes læcessunt plerumque sine imperio, sine fructu, sine gloriâ: in quibus, vel dum pereunt fortiter, nemo est, qui imprudentiam non arguat, stultitiam non accuset, ne dum extollendam fortitudinem, & invictum animi robur collaudandum arbitretur. Hæc te retrahere tecum velim, dum erit opus, unde documentum capias, quod ex usu tibi sit. Interim ego non cessabo pro te vota facere; ac si quid nostræ valebunt apud Superos preces, redibis ad nos salvus ac sospes, & singulari gaudio amicum inter paucos tui studiosissimum cumulabis. Vale & vive.

AMICO LAUREATO.

Gratulabunda.

**F**elicem ô, nec tibi magis quam mihi fortunatum diem, Charissime, quo lætissimo totius urbis in confessu, tubisque accinentibus ac resonantibus tympanis datus in Theatro tibi plausus est! Quis tunc fuit, amabo, animi tui sensus, cum amplissimi Theatri scanderes ardua, & multiplici revinctum laureâ caput universæ multitudini ostentares? Dic, inquam, per Superos precor, ne pigeat istud enarrare nobis. Quanquam quid ego modestiam tuam frustra sollicito, cum animum tuum ex meo spectare liceat? Possum enim verò ex me ipso, Amice,  
face-



facere conjecturam, quàm singularis fuerit lætitia tua, cum votorum tuorum metam ultimam attingeres. Quàm in re nec ipsi fortunæ parcam gratulari, quæ concordibus animis visa est cum æquitate concurrere, ut amplam laboribus tuis mercedem pararet. Pudit illam, credo, cæcam & inconstantem appellari; tibi que dum favebat impensius, voluit eorum hominum emendare cavillationem, qui privatam illam oculis aut volubilem nimis mentiuntur, quàm ut fingere dignoscere virtutem, ipsique ad eam possit adhærescere. Quid jam reliquum est, nisi ut fruaris cum otio lætissimo laborum tuorum fructu, & in umbrâ palmarum tuarum gloriôsè conquiescas. Vale.

*Atteximus Epistolarum omnis generis Indicem, quæ apud Ciceronem variis Epistolarum in Libris reperiuntur.*

